



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 23. Clericorum, ac Protestantium rationes contra Augustani decreti
receptionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

§. XXIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1550.*Clericorum, ac Protestantium rationes
contra Augustani decreti re-
ceptionem.*

Cum Cæsar Augustanum decretum *Thuan. l. 6. p. 196.*
acceptari vehementer urgeret, ac
sciscitaretur, ob quas causas reforma-
tionis edictum a se confectum nondum
in usum deduceretur, hæc ei in respon-
sis fuere data: „ non tam brevi tempo-
re id, quod diu antea hominibus per-
suasum erat, ex eorum animis evelli
potest; docendi enim præprimis sunt,
& sensim ad doctrinam eis proposi-
tam assuefaciendi: nam sine turbis, &
seditione nihil violenter in eo nego-
tio mutari valet: neque etiam ad id
concionatores hucusque adigi value-
runt; alioqui foret in templis solitu-
do; vix enim reperiri possunt, qui e-
dicto de cœlibatu & adempto Calicis
usu assentiri velint. „ Hæ a pro-
testantibus, qui decreto subscripserunt,
causæ afferebantur.

Attamen Catholici econtra totius
mali causam in privilegia, atque im-
munitates rejiciebant, alii autem id
attribuebant gymnasiis, & scholis, in
quibus juventutem pravis disciplinis im-
bui querebantur: Non deerant multi,

L 3 qui

Sæcul. XVI.
A.C. 1550.
qui etiam in Augustanæ confessionis ministros culpam rejiciebant, eo quod illi populum ab eo decreto perinde, ac si cum sacris literis pugnaret, absterrent: causabantur etiam Sacerdotum penuriam, & magistratus negligentiam, qui formulam contumeliosis concionibus, & libellis impune proscindi patiuntur; vitam denique Ecclesiastici ordinis obtendebant plerisque in locis impuram, quæ adeo non boni exempli est, ut potius offensionis causam præbeat. His ita reposuit Cæsar: continuata Tridenti Synodo istis malis remedium opponetur; mox enim Papa illam rursus instaurabit.

§. XXIV.

De Synodo Tridenti prosequenda Romæ actum.

Pallav. l. II.
c. II
Spond. l. c.
n. 3.
Enimvero hujus rei sollicitudo Sacrum Purpuratorum Collegium Romæ jamjam per tres Menses distentum tenebat: tandem vero Nuntius appositas Protestantium conditiones a Cæsare edoctus Pontificem de Imperatoris voluntate certiore reddebat, simulque significabat, quod Cæsar vehementer optaret, ut saltem, quamprimum Patres congregabuntur, de decretorum firmitate sermo fieret, hacque ratione placarentur